OTTONI FRIDERICO THEODORO HEINSIO

PHILOSOPHIAE DOCTORI

GYMNASII BEROLINENSIS LEUCOPHAEI PROFESSORI

ORDINIS AQUILAE RUBRAE EQUITI

VIRO DOCTISSIMO ET ILLUSTRISSIMO

DE RE SCHOLASTICA, DE LITERIS GERMANICIS, DE OMNI HUMANITATE OPTIME MERITO

MUNUS SCHOLASTICUM

IN GYMNASIO FRIDERICO-WERDERANO

FAVENTIBUS AUSPICIIS

ANTE HOS QUINQUAGINTA ANNOS SUSCEPTUM

AD HUNC USQUE DIEM SUMMA CUM LAUDE ADMINISTRATUM

CONGRATULANTUR

GYMNASII FRIDERICO-WERDERANI RECTOR ET COLLEGAE

INTERPRETE

ERNESTO KÖPKE.

BEROLINI DIE III. FEBRUARII A. MDCCCXLV.

Laetissimus quum ad nos perferretur nuntius, Te, Vir Summe Venerande, festum celebraturum esse diem, quo ante hos quinquaginta annos praeceptoris publici munus suscepisses, a Collegio nostro constitutum est, ut ex intimis animorum sententiis Tibi congratularemur. Quod ut faceremus non solum vitae Tuae integritas postulabat animique constantia, sed etiam ista docendi facultas iam diu probata et reconditioris doctrinae copia, quam nostro praeconio non egere facile intelliget, qui si vel paululum in literis liberalibus versatus fuerit, in omni fere earum genere ingenii Tui nomen invenerit. Nec vero solum honoris caussa diem hodiernum concelebrare cupimus, nam et alia nobis Tecum necessitudinis vincula intercedunt. Quod enim iam per decem lustra feliciter explevisti munus scholasticum, ante hoc semiseculum in Friderico-Werderano nostro auspicatus es Gymnasio. Noster igitur ab initio fuisti, Vir Optime, et modo ingressus apud nos aedium nostrarum incendio quasi initiatus es, quod ut felix Tibi esset faustumque omen, Musae dederunt iam tunc Tibi propitiae. Novis autem aedibus a patribus Civitatis assignatis, quae apud nos inceperas, honesto et fideli animo per sex annos persecutus es, quamquam angustiae, quibus tunc tenebantur res nostrae, meritis Tuis satisfacere non poterant. Iure igitur conquestus est in annalibus anni MDCCCII Gymnasii Rector de Tua discessione, quum quid in schola praestiteris vel ex diversissimis disciplinis, quas Tu docebas, satis cognoscatur. Plurimum vero in tractandis literis Germanicis laborasti, quarum cura per tres discipulorum ordines Tibi erat mandata et commissa. Nec sine magno nostro fructu hac provincia fungebaris. Nam

eo tempore praeter alia, quae lectionibus a Te habitis ductus primis lineis describebas, et illud condidisti opus, Teut inscriptum, quod quum totam patriae nostrae linguae scientiam amplectitur, tum nostrarum literarum historiam continet a Te primo scholis adaptatam. Itaque ut haec iam in Gymnasiis traderetur, ratione Tua monuisti et firmasti; ut apud nostrates eius studium miro quodam modo propterea coleretur, quia ad universam generis humani historiam recte diiudicandam et explanandam plurimum valeat, Tu extitisti auctor gravissimus. Circumspicientibus igitur nobis, quid Tibi, Vir Summe, ex nostris studiis offerre possemus hodierno die, nobis ut satisfaceremus, Tibi ut gratum aliquid faceremus, optimum visum est, quid et qua ratione iam Graeci ad literarum historiam condendam elaboraverint, brevi exponere. Nam eos quoque in suas ipsorum literas studium haud contemnendum impendisse, nemo est qui nesciat. At vero, quum, qualis erat, Graecorum mens in experientia tantum versaretur et quam summi assecuti sunt veteres philosophi cognitionem in eadem ipsa esset posita, non mirum nobis videbitur, quod veram literarum historiam, quae artem criticam promptam subtilemque et cognoscendi ac tractandi rationem postulat vere philosophicam, non invenerunt homines Graeci neque unquam excogitarunt. Itaque observationes tantum singulas, quas literarum studiosi vel ipsi inter legendum diligenter et religiose notaverant, vel undique ex aliis corraserant, in opera, quae de graecarum literarum monumentis scripserunt, accurate contulerunt, non tamen eas applicantes ad mentis humanae historiam, quam nullam conceperunt Graeci. Qua in studiorum ratione triplicem modum recte distinguimus; Graeci enim scriptores suos, et ex his praecipue populi vates, poëtas dicimus, vel historice ex vita sua et moribus depingebant, vel philosophice ex arte percensebant et aestimabant, vel denique grammatice tractabant ita, ut quam eruditionem nostrates coniunctam iure in eo requirunt, quem in literarum studium scite incumbere dicunt, apud Graecos vel in suas partes dissolutam vel uno illo omnium disciplinarum fundamento philosophiae destitutam reperiamus.

Iam vero qui historica quadam ratione literis operam dabant, vitas tantum spectabant, easque res colligebant, quae ad eam partem pertinerent, vel de artibus

quaerebant curiose, earum casus et fortunam ab initio persequentes. Quae quidem facta sunt ab illis scriptoribus, qui περὶ εὑρημάτων, περὶ βίων, περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, περὶ ὁμωνύμων opera historica composuerunt. Inventorum scriptores, quaeque ii docuerint, Clemens Alex. laudat in Strom. I. pag. 133. Sylb. Σκάμμων μὲν οὖν ὁ Μιτυληναῖος καὶ Θεόφραστος ὁ Ἐρέσσιος, Κύδιππος ὁ Μαντινεύς, ἔτι τε Ἀντιφάνης καὶ Ἀριστόδημος καὶ Ἀριστοτέλης, πρὸς τούτοις δὲ Φιλοστέφανος, ἀλλὰ καὶ Στράτων ὁ περιπατητικὸς ἐν τοῖς περὶ εὑρημάτων ταῦτα ἱστόρησαν. Quibus addendi sunt Heraclides Ponticus propter Diogenem Laert. V, 88 et Ephorus Cumaeus propter Athenaeum IV, 182, c. VIII, 352, c. XIV, 630, a. Ex eius Inventionum libro hausit Clemens Alex. Strom. I. p. 133 et Suidas v. ἐπὶ τὰ Μανδροβούλου. Eosdem illos Plinio haud ignotos fuisse, iure evincitur ex Nat. Historia VII, 56. p. 426.

Praeter scriptores modo laudatos ad literarum historiam condendam plurimum contulerunt et Vitarum auctores, ex quorum operibus vel plurima in Athenaeum et Diogenem nec non in Plutarchum aliosque rerum scriptores defluxerunt. At in enarrandis Vitarum scriptoribus ne in errorem incidamus, cavendum est. Non enim omnes, quos in hoc literarum genere elaborasse credas, iure hic percenseantur, sed ii certe segregandi sunt scriptores, qui περὶ βίων non βίους scripserunt. Quod ut ita fiat, quid veterum inscriptiones modo laudatae sibi voluerint, constituamus oportet. Haeremus autem in difficultate, nam ipsi in laudandis scriptoribus sibi non constiterunt veteres, quum idem opus modo περὶ βίων modo βίους nominarint. Huius inconstantiae exemplum praebet Athenaeus, qui Clearchi opus περὶ βίων laudat VIII, 344, c. IX, 396, e. XIII, 539, b. XV, 687, a., aliis tamen neque paucis locis βίους, ita ut de recta librorum inscriptione iure dubitare possis. Auctores igitur ipsos adeamus. Περὶ βίων scripserunt Xenocrates, qui post Speusippum Platonicae scholae praeerat, Heraclides Ponticus, et ipse Speusippi auditor, Theophrastus, Strato, Epicurus, Chrysippus, Clearchus Solensis, Seleucus et Timotheus quidam Atheniensis. Inter Xenocratea Diog. Laert. IV, 2. 12. exhibet περὶ βίων ά et περὶ βίου ά. De librorum argumento non est quod dubites, quum inter philosophica scripta, quae vel de affectibus vel de voluptate et de virtute agunt, a

Diogene sint relati, nec ille libros ex fortuito quodam ordine sed consulto et ex argumenti quasi affinitate enumeret. (Diog. VII, 7. 12.) Ob eandem rationem et Theophrasti libros tres de vitis (Laert. V, 2, 13.) ab historia alienos fuisse statuendum est, nam in uno versu positi sunt cum libris ἀρετῶν διαφοραὶ et περὶ βασιλείας, περὶ παιδείας βασιλέως, περὶ γήρως etc. Idem valet de Stratonis, Theophrasti successoris, περὶ βίων libro, qui inter alios περὶ ἀρχῶν et de felicitate erat insertus. Neque Heraclidis Pontici, auditoris Speusippi, liber περὶ βίων ad historiam spectabat, quum inter physica Diogenes eorum meminerit (V, 6. 87.), quamquam ex more Clearchi nonnullis historicis observationibus auctus fuisse videtur, nam Cicero de Nat. D. 1, 13 inter Heraclidis vitia numerat, eum puerilibus fabellis refersisse libros et Plutarchus de Anim. eum μυθώδη καὶ πλασματίαν et Laertius in Empedocle παραδοξολόγον appellant. Chrysippum in opere περὶ βίων καὶ πορισμοῦ docuisse, quomodo philosopho vita recte sit instituenda, iure coniecit Ebert in Diss. Sic. p. 113 sqq. — Seleucus quidam, fortasse Homericus ille, qui Tiberii aetate Romae docebat, opus conscripsit περὶ βίων, cuius librum alterum Harpocratio laudat v. Ὁμηρίδαι. Infestat grammaticus Cratetem philosophum, qui Homeridarum originem ab Homero duxerit, quum ἀπὸ τῶν ὁμήρων nominati fuerint. Occurrit eius mentio saepissime in lexicographis, nusquam vero una cum hoc opere, itaque ne Harpocratio in eo erraverit vereor. De Timothei Atheniensis libro περὶ βίων nihil constat, quum ne auctoris quidem ipsius vitam satis definire possimus. Fragmenta vero magis rerum scriptorem, quam philosophum sapiunt, narrat enim Timotheus de corporis vitiis apud Platonem, Speusippum, Nicomachum, Zenonem et de filio, quem ex Herpyllide genuerat Nicomachus; potuit tamen auctor ethicum ut dicunt aliquod consilium persequi, quod Clearchum Solensem fecisse non dubitamus, quamvis ex historia haud pauca in suum commodum converterit. Nam Aristotelis ille discipulus in conficiendo suo opere id studuit, ut non vitas enarraret clarorum virorum, sed ut a molli et voluptuosa vita exemplis effeminatae luxuriae alios deterreret et ad vitam temperatam adhortaretur, alios emendaret et firmaret morum simplicium imaginibus et variae doctrinae argumentis. Cuius consilii ratio, quam

quum ex verbis auctoris tum ex ipso librorum ordine perspicere possis, a Peripateticorum philosophia nullo modo abhorrebat. Egit igitur quoad ex fragmentis coniicere licet Clearchus in primo libro de parasitis eorumque nomine et more corrupto, in altero fortasse de helluonibus et de magnificentia in re vestiaria, in tertio de luxu odoris et colorum apud homines effeminatos, egit in quarto de moribus depravatis apud exteros Graecos et apud barbaras gentes, quos in quinto etiam libro tractasse videtur. Hoc argumento consummato transiit Clearchus ad illos homines, qui sicuti Gorgias Leontinus ob temperantiam victus longum et felix vixerint aevum. Ex narrationis vero indole et ex toto dicendi genere morale Clearchi consilium et indignationem nobilem quandam et honestam, morum gravitatem et flagrantissimum eos emendandi studium cognosces. Deos enim vehementer hominum turpitudinem moresque scelestos vindicasse docet Clearchus apud Athen. XII, 522, e. (οὕτω δὲ τὸ δαιμόνιον ἠγανάκτησε κ. τ. λ.), luxuriosos in nulla re proficere ostendit apud Athen. XII, 524, e. (εἶτα πάλιν ἐγένοντο πάντων ἀθλιώτατοι βροτῶν διὰ τὴν ὕβριν) 541, e. (εὐλαβητέον οὖν τὴν καλουμένην τρυφὴν, οὖσαν τῶν βίων ἀνατροπὴν ἁπάντων τε ὀλέθριον ἡγεῖσθαι τὴν ὕβριν.) Quocirca Clearchi opus περὶ βίων inscriptum fuisse persuasum habemus. — Eodem nomine et Epicuri opus erat signatum, quod philosophus politico quodam et ethico consilio conscripserat. Quem enim finem sibi proposuerit Epicurus, intelligimus ex Laertio in l. X, 1, 26, ubi philosophus virum sapientem adhortatur οὐδὲ πολιτεύσεσθαι, ὡς ἐν τῇ πρώτῃ περὶ βίων, οὐδὲ τυραννεύσειν οὐδὲ κυνιεῖν ὡς ἐν τῇ δευτέρᾳ περὶ βίων, οὐδὲ πτωχεύσειν· ἀλλὰ καὶ πηρωθέντα τὰς ὄψεις μεθέξειν αὐτὸν τοῦ βίου ὡς ἐν τῇ αὐτῇ φησί. Et de vera voluptate in qua re posita sit, scripsit Epicurus contra Cyrenaicos in primo libro de vitis. (Diog. L. X, 1. 28.)

Iam vero ad βίων scriptores accedimus. Qui autem hic percensendi sunt, fere omnes ex Aristotelis prodierunt disciplina, cuius ad exemplum et ipsi omnium fere artium historias amplectebantur. Dicimus autem de iis, quos laudet Hieronymus in Histor. Eccles. Praef. 1. „Hortaris — ut a passione Christi usque ad decimum quartum Theodosii imperatoris annum omnes, qui de scripturis sanctis memoriae

aliquid prodiderunt, tibi breviter exponam. Fecerunt quidem hoc apud Graecos Hermippus Peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus doctus vir, et longe omnium doctissimus Aristoxenus Musicus." Quorum numerum et aliorum nominibus augere possumus; βίους enim scripserunt praeter alios Dicaearchus, Diocles, Charon et Heraclides Serapionis, Telephus, Nicagoras. Quid vero in operibus praestiterint, Theodoretus in Therap. Serm. 2 significasse videtur, quum dicit: Πλούταρχος καὶ Ἀέτιος τὰς τῶν φιλοσόφων ἐκπαιδεύουσι δόξας, τὸν αὐτὸν δὲ καὶ ὁ Πορφύριος ἀνεδείξατο πόνον, τὸν ἑκάστου βίον ταῖς δόξαις προστεθεικώς, quae quidem ad philosophos eorumque vitarum scriptores spectant, sed tamen et de instituto eorum valebunt auctorum, qui vitam et artem poëtarum depinxerunt. Hi igitur et alii fortasse intelligendi sunt apud Gellium in Noct. Att. XIV, 3.

Xenophontem βίους φιλοσόφων scripsisse credere nos iubet Suidas, cuius tamen errorem recte expunxit Ionsius Script. Hist. philos. I, 7, 5. Aristoxeni Musici opus, non quod Mahnius pag. 18 scripsit περὶ βίων ἀνδρῶν inscriptum fuit, sed βίοι ἀνδρῶν, quod ex Plutarcho (Non posse c. X. p. 497. Reisk. ἢ βίους ἀνδρῶν Ἀριστόξενος ἔγραψεν) cognoscitur. Complectebatur Aristoxenus hoc opere praeter alias multas vitas Pythagorae, Archytae, Socratis, Telesti, Platonis. Fortasse non errant, qui hisce addunt Hipponis, Xenophili, Heraclidis Pontici, Xenocratis, Praxidamantis Musici, Lycurgi, Sophoclis vitas, ex quibus quaedam protulisse Aristoxenum multis locis probatur. — De Dicaearchi Messenii Peripatetici opere βίων nuper edocti sumus a Fuhrio. Uno tantum loco opus hocce nominatum est apud Laertium III, 1, 5. ἐν πρώτῳ περὶ βίων, ubi βίων potius scribendum esse Fuhrius pag. 40 recte suspicatus est. Scripsit Dicaearchus de Platone, et fortasse ex hoc libro ea quoque deprompta sunt, quae omisso operis titulo apud Diogenem leguntur, de Axiothea, de septem Sapientibus, de Pythagora. — Antigonus Carystius, quem propter aetatem tertio loco ponimus, aequalis fuit Ptolemaeorum Lagidae et Philadelpho. Teste Hieronymo scripsit de vitis eruditorum virorum. Opus βίοι inscriptum apud Laërtium IV, 3. 1. et Athen. IV, 162, e., continebat vitas Polemonis, Lyconis, Menedemi, Zenonis, Pyrrhonis, Timonis, Dionysii Metathemeni. — Hermippus Smyr-

naeus, Callimachi discipulus, scripsit περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ λαμψάντων λόγῳ (Etymol. M. v. Ἀπάμεια), quod opus alii βίοι appellant. Partes eius περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν, περὶ τῶν νομοθετῶν, βίους τῶν φιλοσόφων, βίους τῶν ῥητόρων (in quibus etiam περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν) fuisse, primus docuit Westermann. ad Vossii Hist. gr. pag. **140**. In opere illo, quod totam fere historiam eruditorum complexum est, de historicis quoque, de poëtis, de magis locutum esse Hermippum, ex Marcelli vita Thucyd. et ex Athen. VII, **327**, c. XI, **478**, a. evincitur. — Satyrus Peripateticus propter doctrinam et investigandi virtutem a veteribus bene audivit. Eum enim Hieronymus l. l. doctum virum vocat, aequales διὰ τὸ ζητητικὸν αὐτοῦ appellabant ζῆτα. Fuit Aristarchi γνώριμος teste Photio in Bibl. Cod. **190**. Illustrium virorum vitas scripsisse Satyrum narrat Hieronym. ad Iovin. II. Laudant eas et Athenaeus et Laërtius nomine βίων, inter quas iidem locum obtinuisse docent vitas Biantis, Empedoclis, Anaxagorae, Socratis, Platonis, Alcibiadis, Stilponis, Dionysii minoris, Philippi, Alexandri. Diogenis Sinopensis tragoedias spurias fuisse in quarto vitarum libro affirmavit Satyrus. At et plura volumina amplexum esse eius opus ex eo recte coniecisse mihi videor, quod ab Heraclide Lembo, Serapionis F., Ptolemaei Philometoris aetate, teste Laërtio VIII, **1**. **21**. XI, **5**. **5**, in brevius est redactum. Idem Sotionis quoque διαδοχὰς τῶν φιλοσόφων in compendium contraxerat. — Dioclem Magnesium, incertae aetatis scriptorem, βίους φιλοσόφων composuisse testatur Diogenes Laërt., qui ex eo haud pauca mutuatus est. — Βίους τραγικῶν καὶ κωμικῶν composuit, uti ex Suida videmus, Telephus Pergamenus, quo praeceptore Verus Caesar utebatur. — Sub Philippo composuit Nicagoras Atheniensis Sophista (Suid. s. v.) βίους ἐλλογίμων, ex quibus nihil servatum esse videtur. Attamen opus eius non multum discessisse credendum est ab illis περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, quae quamquam non vitas tantum continebant, tamen, quod vel ex minimis eorum particulis recte coniicias, historico quodam modo de claris viris egerunt. Inter huius argumenti scriptores summum locum obtinet Neanthes Cyzicenus, de quo nuper Marquardt. in Cyzico etc. pag. **164** erudite disputavit. Floruit Attali I, Pergameni regis, temporibus, de cuius rebus in libro egit αἱ περὶ Ἄτταλον ἱστορίαι,

apud Athen. XV, 699, d. laudato. Ex Stephano Byz. v. Κραστός Neanthis opus περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν cognoscimus, nec alienum est ab eo loco, quin etiam de Epicharmo Comico Neanthem egisse statuamus. Magnam libri partem dicavit Pythagorae et Pythagoreis, quod ex Diog. Laërt. VIII, 2, 11. evincitur (Νεάνθης ὁ Κυζικηνὸς ὁ καὶ περὶ τῶν Πυθαγορικῶν εἰπών). Praeterea de Empedocle locutus est Neanthes, de Periandro, Heraclito, Sophocle, Platone, Antisthene, Timone. — Iasonem Stoicum Posidonii discipulum et in schola successorem de philosophorum successionibus et de vitis illustrium virorum scripsisse, testatur Suidas v. Ἰάσων. — Amphicratis cuiusdam, quem inedia voluntaria apud Tigranem vitam finisse arbitratur Ionsius pag. 235, mentionem faciunt Diog. Laërt. II, 3. 10. et Athen. XIII, 576, c. Theodorum ἄθεον cicutam bibisse et Themistoclem ex Abrotono natum esse, uterque ex Amphicratis opere περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν hauserunt. Ex Megaclis cuiusdam libro περὶ ἐνδ. ἀνδρ. Athen. X, 419, a., testimonium de M'. Curio Romano profert. — Antilochum alias plane ignotum Clemens Alex. Strom. I. pag. 133 τὸν τοὺς ἵστορας πραγματευσάμενον ἀπὸ τῆς Πυθαγόρου ἡλικίας ἐπὶ τὴν Ἐπικούρου τελευτὴν dicit. Temporum tamen rationem observasse in Chronologico quodam opere Antilochum ex eo colligo, quod in annorum computatione testis adhibetur a Clemente. Plurimum vero in investigandis literarum monumentis profecit Callimachus Cyrenaeus, Ptolemaei Philadelphi aequalis, qui tanta fuit industria, ut numerus librorum, quos conscripserat, octingentos superaret. Inter eius opera longe notissimi fuerunt πίνακες τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν, ἐν βιβλίοις κ' καὶ ρ', qui libri quomodo instituti fuerint facile, ex Athen. VI, 244, a. cognosces: τοῦ Χαιρεφῶντος καὶ σύγγραμμα ἀναγράφει Καλλίμαχος ἐν τῷ τῶν παντοδαπῶν πίνακι γράφων οὕτως· Δεῖπνα ὅσοι ἔγραψαν· Χαιρεφῶν Κυρηβίωνι· Εἶθ' ἑξῆς τὴν ἀρχὴν ὑπέθηκεν· Ἐπειδή μοι πολλάκις ἐπέστειλας· Στίχοι τοέ. In tabulis igitur consignati erant secundum argumentorum genera et auctores et horum libri omnes, et librorum initia versuumque numerus; porro ne quod literarum genus exclusum esset omnes scriptores, qui in bibliothecis latebant, in lucem protrahebantur. In adornandis autem eorum nominibus in aliis doctrinis aliam rationem esse servatam ex Diog. Laërt. VIII, 8, 1. coniicimus. Nullus enim

locus datus esset, quo Eudoxum in geometricis ab Archyta, in medicina contra a Philistione didicisse Callimachus ostenderet, nisi in philosophorum et medicorum tabula singulos scriptores ex schola, quam frequentaverant, et ex successionibus essent notati. Vasti illius operis partes fuerunt πίνακες ἐν οἷς ἦσαν ἀναγραφαὶ ποιητῶν ἀρχαίων (Etym. M. πίναξ), ἀναγραφὴ τῶν ῥητορικῶν (Athen. XV, 699, d.) πίνακες τῶν νόμων, quorum tertium citat Athen. XIII, 585, B. Fortasse et varia scripta, quae in aliis tabulis non erant collocanda, uno comprehendebantur volumine, quod Callimachus πίναξ παντοδαπῶν συγγραμμάτων inscripsit. In illa tabula caput unum complectebatur auctores eos, ὅσοι δεῖπνα ἔγραψαν, alios qui πλακουντοποιικὰ συγγράμματα composuerunt. (Athen. XIV, 643, e.) Quum vero de librorum auctoribus non raro ambigeretur, saepius de sua doctrina quaedam addidit Callimachus, quibus rem dubiam decerneret (Harpocr. Ἴων. Diog. L. IX, 3, 3. Athen. II, 70, a. b.) ita, ut non tantum opus vastum conglutinaret, sed arte quoque, quam profitebatur, critica multa illustraret Callimachus. Ad hoc opus Aristophanis Byzantius nonnulla elaboravit. (Athen. IX, 408, f.) Aliae vero in auctoritate fuerunt tabulae in Pergamenorum schola, quod discimus ex Athen. VIII, 336, e. et Harpocratione v. Ἴων, qui Demetrium Scepsium, Cratetis discipulum, ut auctorem suum laudat et Apollonidem Nicenum, qui aliter de Triagmorum auctore statuerint. Verba eius ἀναγράφουσι δὲ ἐν αὐτῷ τάδε ad librorum tabulas spectant. At quum non in paucis rebus ab Alexandrinis alterae illae tabulae discederent, neque aliorum doctorum virorum opiniones semper adoptarent ea, quae novi illi scriptorum indices tuebantur, alii libri ex tabulis ipsis profecti sunt, qui vel quae perverse dicta esse videbantur, emendarent, vel ex vasta illa Callimachi aliorumque doctrina novum excuderent opus. Qualia fuerunt et Artemonis opus περὶ ἀναγωγῆς βιβλίων ab Athenaeo laudatum et Demetrii Magnetis, ex Ciceronis aetate, περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν καὶ συγγραφέων (cf. Harpocr. v. Ἰσαῖος. Athen. et Diog. Halicarn. et Diog. Laërt. multis locis) et Agresphontis cuiusdem liber περὶ ὁμωνύμων, ex quo testimonium Suidas v. Ἀπολλώνιος profert. Utrumque opus plurimum valuit ad discernendos scriptores cognomines, itemque, opinor, Hippocrates, quos Ionsius pag. 13 viginti circiter eos-

demque haud paucos medicos ex antiquitate numeravit. Quae et quanta ex fonte Callimachio in alia redundarint opera, hodie non amplius licet perscrutari; Grammaticos tamen homines multa in suam vertisse utilitatem facile aliquis coniiciat, si Callimachum spectet quo in honore etiam Athenaei temporibus fuerit, quibus, quantum ex ipso Deipnosophista colligimus, ut de dubiis auctoribus sententiam diceret litemque discerneret, ut summus arbiter advocabatur.

Iam de philosophica ratione quaedam afferre iuvat, qua veteres ad literarum historiam condendam usi sunt. Iudicia igitur nobis quaerenda sunt de scriptoribus, non narratiunculae. Studium vero, quod primum apud philosophos viguisse putandum est, in poëtis positum, neque dissimile erat ei, quo hodierni quidam homines excellunt, qui cum alios poëtas tum Goethium vel Spinozae vel Hegelio addictum fuisse recte demonstrasse sibi videntur. Nam Socraticos poëtarum sententias in ius vocasse et in moralibus haesisse dubitationibus ostendit Plato in Re publ. p. 386 sqq., qui Homerum vituperat, quia Deorum hominumque mores depinxerit. Xenophontis studium philosophicum in Theognidis sententiis positum demonstrat locus Stobaei (Flor. 88, **14**. p. **211**. Gaisford.) ἐκ τοῦ περὶ Θεόγνιδος exscriptus, et simile argumentum tractasse videtur Antisthenes Cynicus in duobus de Theognide libris, qui in secundo operum eius volumine tres libros de iustitia et fortitudine quasi quartus et quintus exceperunt, ut testatur Diogenes Laërtius VI, **16**. Nec in moralibus rebus acquieverunt philosophi. Socrates enim artium fines accurate describere coepit, primusque de natura pulchri venustique instituit quaestiones, quae ex Academia iam rectius solvendae ad Aristotelem eiusque discipulos transierunt. Nec vero, ut fit, defuerunt, qui iam Platonis doctrinam, artis naturam esse positam in imitatione rerum, qualis re vera essent, vel rudi sensu ac temere et inconsiderate intelligerent vel omnino non perciperent. Itaque ridiculas et plane fatuas de literis extitisse observationes, quum iam per se probabile videatur, tum ex inepto illo ludorum magistro cognoscitur, qui quidem Platone aliquanto maior, tamen etiam de imitatione artium cogitavit. Captiosam eius dubitationem, num Phrynichus poëta recte dixerit πορφυρέας παρηΐδας alia repellit quaestione apte et facete Sophocles, an Simonideum illud

πορφύρεον στόμα vel Homeri χρυσοκόμας Ἀπόλλων, vel denique ῥοδοδάκτυλος ἠώς, recte se habeat, εἰ γάρ τις εἰς ῥόδεον χρῶμα βάψειε τοὺς δακτύλους, πορφυροβάφου χεῖρας καὶ οὐ γυναικὸς καλῆς ποιήσειεν ἄν. (Athen. XIII, 603, e.) Non defuerunt qui et hac et posteriore aetate similes captarent nugas et pro sapientia venditarent. Nam qui προβλήματα et ἀπορήματα et λύσεις scriptitabant, in illis versabantur quaestionibus, si quid coniicere fas est ex Aristotele. (de Poët. cp. 25.) Quae vero ibi leguntur quum summo philosopho indigna videantur, iure nuperrime quaesitum est, an potius ea a Grammatico quodam Aristoteli intrusa et inculcata essent existimanda. Nam tironum in modum Homero aliisque poëtis philosophus nonnulla imputat vitia, quae isti in imitanda natura commiserint ita, ut quae fieri omnino nequeunt, lectores suos credere velint. Tantum Zoilus quidam, quem Homeri imaginem flagellasse docet Galenus de locis aff. I, 3., haec aliaque vitia reprehendere potuit. Ex profundiore certe doctrina et magis philosophica ratione Aristotelis ἀπορήματα Ἀρχιλόχου, Εὐριπίδου, Χοιρίλου ἐν βιβλίοις γ', si quidem sunt Aristotelis, prodisse crediderim. Nec aliter de Heraclidis Pontici libro περὶ τῶν παρὰ Εὐριπίδῃ καὶ Σοφοκλεῖ α. β. γ. (Diog. Laërt. V, 6, 4.), aut de Sosibii Laconis διαβεβοημένοις ζητήμασι (Schol. Eur. Med. 171. Hippol. 72.) statuam. Nam qui artis leges docuit haustas ex summa artis experientia, qui eas poëtarum exemplis explanavit eleganti sensu Aristoteles, non potuit haesitare in meris ineptiis. At quum in philosophia et in cogitandi sollertia et iudicandi acumine discipuli longe essent inferiores summo magistro, non est mirandum, quod opera vere philosophica, quale Aristotelis περὶ ποιητικῆς, a successoribus profecta vix reperias. Theophrastus solus περὶ ποιητικῆς scripsit. Heraclidis opus περὶ ποιητικῆς καὶ τῶν ποιητῶν, cuius partem περὶ τραγῳδοποιῶν inscriptam fuisse suspicamur, ad historiam magis accessit. Illam enim in libris, quos de poëtis scripserunt, criticos praecipue esse amplexos, quamquam iudicium quoque de arte exercuerint, iam ante Aristotelem demonstrat Glaucus Rheginus, Democriti aequalis, (Diog. Laërt. IX, 7, 6.) qui σύγγραμμα περὶ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν τε καὶ μουσικῶν composuit, ex quo et iudicium de Thaletis carminibus et nonnulla de poëtarum et musicorum inventis protulit Plutarchus de Mus. X. p. 654 sqq.

Reisk. Idem commemoratur ab aliis scriptoribus, scilicet Diogene et Harpocratione, dubitabatur tamen an opus potius ad Antiphontem oratorem Atticum esset referendum. (Plut. X. Or. IX. p. **312**. R.) De Damastis Sigeensis libro περὶ ποιητῶν καὶ σοφιστῶν, qui a Suida et Dionysio laudatur, non constat. Post hos Peripatetici, qui περὶ ποιητῶν scripserunt, Aristotelis premebant vestigia, cuius liber de poëtis, quantum ex fragmentis coniicere licet, continebat historicas observationes, quales legimus etiam apud Aristoxenum in quaestione περὶ τραγῳδοποιῶν et apud Hieronymum Rhodium in opere περὶ ποιητῶν, cuius quintus liber περὶ κιθαρῳδῶν, alius περὶ τραγῳδοποιῶν fuit inscriptus; tum apud Phaniam Eresium, cuius secundum librum de poëtis laudat Athen. VIII, **352**, c., et apud Durium Samium in libro περὶ τραγῳδίας, vel uti falso nomine citatus legitur, περὶ Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους (Athen. IV, **184**, d.), in quo artis praecepta frustra quaesiveris (Athen. XIV, **636**, f.), denique apud Demetrium Phalereum, cuius librum περὶ ποιητῶν Suidas memorat. Ex Epicureis quantum scimus, Metrodorus composuit librum περὶ ποιητῶν. Posterioribus demum temporibus adnumerandi sunt fortasse Lobon Argivus, cuius opus περὶ ποιητῶν in Epimenide laudat Diogenes **I**, **10**, **7**., vel Theodorus, eiusdem nominis decimus septimus apud Laërtium, vel Dionysius Phaselites, qui in Anonymi vita Nicandri invenitur. Uterque scripsit de poëtis. — Peripatetici vero in aliis quoque historicis argumentis elaborabant, quod et Aristotelis deperditae διδασκαλίαι et Dicaearchi libri περὶ μουσικῶν ἀγώνων probant et Plutarchus diserte docet (Non posse etc. X, **509**. Reisk.), quum dicit τίς — οὕτως ηὔφρανεν Ἐπίκουρον καὶ Μητρόδωρον, ὡς Ἀριστοτέλην καὶ Θεόφραστον καὶ Ἱερώνυμον καὶ Δικαίαρχον οἱ περὶ χορῶν λόγοι καὶ διδασκαλίαι καὶ τὰ δι' αὐλῶν προβλήματα καὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν. Quaestionum illarum exempla idem Plutarchus eo loco, quem dixi, haud pauca profert, quae tamen etiam minus circa res philosophicas, quam in experientia versantur, quam quis vel de sono tibiarum, vel de recta proscenii et orchestrae structura, vel de musicae generibus eorumque vi et pondere collegerat. De illis enim iam inde a Socrate multum esse cogitatum, ex Plutarcho cognoscas de Musica X. p. **651**. R. sic scribente: τῶν τε Πλατωνικῶν οἱ πλεῖστοι καὶ τῶν ἀπὸ τοῦ Περιπάτου φιλοσόφων οἱ

ἄριστοι περί τε τῆς ἀρχαίας μουσικῆς συντάξαι ἐσπούδασαν καὶ περὶ τῆς αὐτῆς γεγενημένης παραφθορᾶς. Haec probantur operum titulis, quae philosophorum nominibus a Diogene Laërtio subscripta sunt. Libros singulares de musica vel de musicis composuerunt ex Peripateticis Aristoteles, Theophrastus, Demetrius, Heraclides, Aristoxenus, Antisthenes, alii; qui id praecipue quaerebant: τίς πρῶτος ἐχρήσατο μουσικῇ καὶ τί εὗρε πρὸς αὔξησιν ταύτης ὁ χρόνος, καὶ τίνες εὐδόκιμοι γεγόνασι τῶν τὴν μουσικὴν ἐπιστήμην μεταχειρισαμένων· ἀλλὰ μὴν καὶ εἰς πόσα καὶ εἰς τίνα χρήσιμον τὸ ἐπιτήδευμα. (Plut. X, **650**.) Quae ex his studiis redundavit scientia, in tractandis poëtis fructuosissima facta est. Nam exortum inde est illud tractandi genus, quod nostrates aestheticum, Graeci κριτικόν (Lehrs de voc. φιλ. p. **10**) dicunt. Consistit enim maxima eius et potissima pars in iudicio, quod adhibebatur, in narratione et de vita auctoris et de occasione, quae carmen opusve provocaverit, et in expositione argumenti, et in demonstranda et aestimanda arte, qua vel numerum et musicam invenerit auctor vel poëticam imaginem apte expinxerit et venuste expresserit. Inquirit igitur in ἤθη ποιητῶν καὶ πλάσματα καὶ διαφορὰς χαρακτήρων καὶ λύσεις ἀποριῶν, ἐν τῷ πρέποντι καὶ γλαφυρῷ τὸ οἰκεῖον ἅμα καί πιθανὸν ἔχουσας. (Plut. non p. X, **510**.) In hoc genere laborabant ἐξηγηταὶ, de quibus Antisthenem Cynicum librum composuisse, testatur Diogenes Laërt. VI, **1**, **9**. Inter hos prae aliis laudandus est Chamaeleon, cui quae de Homero scripsit, Heraclides surripuit, qui Heraclea Pontica oriundus, Aristotelem ipsum vel discipulos eius audivit. Ante grammaticos positus est a Tatiano contra Graec. §. **48**. Χαμαιλέων ὁ περιπατητικός, cuius librum περὶ ἡδονῆς Theophrasti esse aiebant. (Athen. VI, **273**. c.) Scripsit de veteri comoedia et interpretatus est Homerum, Thespidem, Aeschylum, Alcaeum, Sappho, Anacreontem, Alcmanem, Simonidem, Stesichorum, Lasum, Pindarum. — Περὶ Ἰαμβοποιῶν scripsit Lysanias, Eratosthenis praeceptor, Eratosthenes de veteri comoedia, Euphorio περὶ μελοποιῶν, alii de aliis. At vero hac ipsa Alexandrina aetate novum fere studium exarsit, artemque criticam in se recepit, quod positum erat in sermonis et locutionis cura. Studium dico grammaticorum, in quibus, ut Ciceronis (Or. I, **42**.) verbis utar, poëtarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam

sonus erat. Quid isti praestiterint in literarum historia condenda, fere nihili est faciendum, quum optimi eorum mira praestarent in interpretatione et recensione, minora contra ingenia in pusillis et minutis quaestionibus operam profunderent et ad putidam dicendi scribendique artem eo velocius festinarent, quo facilius in decrepita antiquitate sani sensus hebescebant.

Iam unde egressa est, eo deflectit nostra oratio, literarum historiam esse inchoatam quidem a Graecis, non tamen ea, quam nos desideramus, ratione esse tractatam. Fieri hoc eo demum tempore potuit, quum solam philosophiam verae cuique disciplinae quasi fundamenta substruere certosque fines describere exploratum esset atque cognitum. Quod et Tu, Vir Summe, recte perspexisti, quum nostro demum seculo inventam esse diceres literarum historiam. Quam sententiam quum in libro Tuo, Teut inscripto (IV, 2, pag. 282 ed. 1811) primum proposuisses, postea in libris et orationibus publice habitis explicasti et illustrasti tam copiose et tam eleganter scriptis, ut quid magis mirandum esset dubitaremus, utrum ingenii Tui alacritas et fecunditas an scribendi ars et facilitas. Optimum igitur et exoptatissimum nobis contigit, ut memori animo quae Tibi debeamus recolentes, hodierno die gratias Tibi agere possimus, quae quum ex benevolentissima erga te profluant voluntate, in pia mutantur vota pro Tua Tuorumque salute. Itaque una cum grata illa et laetabunda amicorum et discipulorum multitudine, quae hodie Te unum intuetur, hodiernum diem Tibi gratulamur atque eandem animi alacritatem et constantiam, quam et in bonis et in arduis rebus probasti, ut Deus Optimus Maximus Tibi conservet precamur. Vigeat et servetur Tibi docendi ille amor integerrimus, quo ad venerationem Tui et admirationem nos excitasti, maneat Tibi discipulorum pietas:

γηράσκει δ' ὁ γέρων κεῖνος ἐλαφρότερον,
κοῦροι τὸν φιλέουσι, νέοι δέ μιν, οἷα τοκῆα,
χειρὸς ἐπ' οἰκείην ἄχρις ἄγουσι θύρην.

RECTOR ET COLLEGAE GYMNASII FRIDERICO-WERDERANI

INEUNTE ANNO MDCCCXLV.

E. Bonnell.
A. Salomon.
C. Bauer.
Th. Kanzler.
F. Jungk.
A. Zimmermann.
Ch. Weise.
A. Gottschick.
F. Schmidt.
A. Zumpt.
E. Köpke.
G. Michaelis.
F. Beeskow.
J. Richter.

Berolini, typis *J. F. Starckii.*